DE
PRIMATU ROMANI PONTIFICIS
EIUSQUE INFALLIBILI MAGISTERIO
IUXTA ULTIMA
GALLIARUM CONCILIA PROVINCIALIA

SCRIPSIT

CAROLUS AEMILIUS FREPPEL

EPISCOPUS ANDEGAVENSIS

TAURINI
APUD PETRUM F. H. MARIETTI
TYPOGRAPHUM PONTIFICIUM
MDCCCLXX.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/deprimaturomanip00frep

PROOEMIUM

Cum difficillime in praesentiarum omnes RR. Episcopi prae manibus habere possint acta Conciliorum provincialium quae ultimis hisce temporibus in Gallia celebrata sunt, opportunum duxi quae ibidem de Romano Pontifice docentur, omnia in unum fasciculum colligere, ut inde appareat quaenam sit apud nostrates circa materiam de qua nunc tractatur vera fides ac genuina sententia. Quandoquidem, praeter decreta summorum Pontificum et Conciliorum generalium, nulla dantur monumenta quae maiori polleant auctoritate quam actiones Synodorum particularium a sancta Sede approbatae, ita ut contra ipsas, fidem alicuius Ecclesiae commonstrantes, nulla exceptio, undequaque veniat, aliquam vim habere possit. Sane quod nulla definitio de infallibilitate pontificia in hisce nostris provincialibus Synodis quaerenda sit, satis per se patet, si quidem novam fidei definitionem edere ad Concilia particularia minime pertinet. Ast, data occasione, ita mentem suam aperiunt Patres, quotquot

huiusmodi Synodis interfuerunt et subscripserunt, ut vix clariorem ac vividiorem ad suam declarandam sententiam invenire potuerint dicendi formam. Quaecumque enim apud eos recurrunt de *absoluta* mentis obedientia apostolicis constitutionibus debita, deque earum vi obligandi, *virtute propria, nativo robore,* independenter a cuiuslibet potestatis sanctione aut consensu aut acceptatione, haec omnia, inquam, vel nullum prae se ferunt sensum, vel infallibilitatem pontificiam necessario praesupponunt. Verum de his iudicet lector, egregia illa fidei nostrae testimonia sincera lance perpensurus. Ipsi procul dubio aeque ac nobis compertum erit, praesules Galliae futuram definitionem quasi adumbrasse, eius perficiendae curam Concilio generali, uti par erat, relinquentes. Sit itaque primum

Concilium Suessionense pro provincia Remensi anno 1849 celebratum.

(Interfuerunt et subscripserunt Archiepiscopus Remensis, et Episcopi Catalaunensis, Bellovacensis, Suessionensis et Ambianensis.)

Titul. II. Caput. I. De obedientia Ecclesiae et Sanctae Sedi debita.

Inter tot et tanta errorum circumfusorum pericula, ut non simus sicut parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, totis praecordiis amplectimur Sanctam Ecclesiam Catholicam, quae est columna et firmamentum veritatis, et contra quam portae inferi non praevalebunt. Et quoniam Christus ipse supra Petrum eiusque successores suam aedificavit Ecclesiam, profitemur, cum Sancto oecumenico Concilio Florentino, Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis

Conciliorum oecumenicorum et in sacris Canonibus continetur.

Convertamus igitur oculos ad Sedem Beati Petri Apostoli, qui est petra et crepido Catholicae Ecclesiae, et rectae fidei fundamentum *(Conc. Chalc.);* scientes magnum et indeficientem omnibus Christiani s fluenta redundantem apud Sedem Apostolicam fontem consistere *(Episc. Afric. Epist. ad Theodor. Papam),* et fidem Petri, qui in propria sede vivit et praesidet, et fidei veritatem quaerentibus praestat *(S. Petri Chrysol. Epist. ad Eutych.),* numquam defecisse nec usque in finem defecturam esse. Unde sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, in qua est integra et vera Christianae Religionis soliditas *(Formul. Hormisd.),* et ei in omnibus consentientes, pro deposito fidei incorrupte custodiendo, acquiescimus et toto animo adhaeremus omnibus constitutionibus Apostolicis Novatorum errores damnantibus.

Insuper falsis quorumdam opinionibus obviantes, declaramus easdem constitutiones ab omnibus Christi fidelibus tenendas esse velut credendorum normam et conscientiae regulam, independenter prorsus ab omni potestatis saecularis sanctione; si quidem Ecclesiae decreta ex Christi institutione et secundum constantem fidei Catholicae traditionem proprio robore valeant.

Concilium Remense anno 1857 celebratum.

Decretor. Cap. IV.

Cum igitur Romanus Pontifex in beato Petro cuius apostolicam Sedem occupat, mandatum acceperit a Christo agnos et oves totumve gregem Christianum pascendi, necnon claves regni caelorum cum suprema potestate in

universo Orbe terrarum ligandi ac solvendi, illius utique officium est ac munus, non solum veritatem Catholicam defendere, et si quae de fide morumve subortae fuerint quaestiones, *suo irreformabili quidem iudicio definire*, sed etiam ex eadem auctoritate quidquid universali Ecclesiae expedire iudicaverit, in iis quae ad populi christiani disciplinam pertinent, statuere, ita ut vera illius decretis et constitutionibus, cuiuscumque sint generis, obedientia praestari debeat ab omnibus fidelibus ac etiam Ecclesiarum praelatis....

Ex dictis igitur summopere cavendum nobis est, ne in ulla re Sedis Apostolicae auctoritatem inconsulte praetermittamus, decepti nimirum quorumdam scriptis doctorum, qui Summi Pontificis auctoritatem minuere non verentur. Leges enim ecclesiasticae a Concilio generali aut constitutionibus Apostolicis latae et more apud Ecclesiam Romanam consueto promulgatae, sive acceptatae fuerint sive non, vim habent ligandi eosque ad quos spectant quantumvis reluctantes constringunt; illarum namque firmitas nec pendet nec ullatenus pendere potest ab inferiorum acceptatione, sed a sola legislatoris voluntate, qui sibi subiectis imperandi ius habet.

ADVERTENDA

Declarant Patres Concilii Remensis: « Constitutiones Apostolicas ab omnibus Christi fidelibus tenendas esse *velut credendorum normam et conscientiae regulam.*» Id affirmant absolute ac simpliciter, absque ulla restrictione, nullaque adiecta conditione. Omnibus ergo constitutionibus Apostolicis, ne una quidem excepta, inerrantiae vim ac characterem agnoscunt; secus eas nequaquam appellare possent credendorum normam et conscientiae regulam.

Insulsum enim foret pro omnibus Christi fidelibus regulam fidei et morum statuere quae non esset infallibilis. Ceterum, quod talis omnino fuerit eorum mens, in posteriori concilio aperte confessi sunt, dicendo: « Romani Pontificis esse officium et munus, si quae de fidei morumve regulis subortae fuerint quaestiones, eas *suo irreformabili iudicio* definire.»

Concilium Avenionense pro provincia Avenionensi anno 1849 celebratum.

(Interfuerunt et subscripserunt Archiepiscopus Avenionensis et Episcopi Monspeliensis, Nemausensis, Valentinensis et Vivariensis.)

Titulus I. Caput II. De obedientia Ecclesiae et Sanctae Sedi debita.

Fides catholica Decretis Conciliorum universalium et Constitutionibus dogmaticis SS. Pontificum definitur ac sancitur. Sacris quidem Scripturis atque Traditione continetur; sed ad eos pertinet eam declarare, quos Ecclesiae conditor Christus sic allocutus est: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.... Docete omnes gentes.... Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi:* quibus verbis Petro praecipue et Apostolis eorumque successoribus, ad quos ipsa spectant, collata fuit haec potestas. Promissa illa numquam non stetisse, hanceque potestatem semper viguisse testantur Annales Ecclesiastici. Porro haec potestas de doctrina decernendi tunc potissimum exercetur ab Episcopis, cum, ut pleniore iudicio omnis error possit aboleri, sunt undique congregati in unum, convocante, prae-

sidente, eorumque sententiam confirmante Summo Pontifice. Tunc enim magnifice veraciterque dicunt: *Visum est Spiritui Sancto et Nobis*. Unde, ut ait S. Caelestinus: *Spiritus Sancti testatur praesentiam Congregatio Sacerdotum:* et prout professus est Constantinus imperator: *Quod trecentis Episcopis visum est, non est aliud putandum quam Dei sententia: Quapropter nemo nostrum haesitet, nemo moram interponat.* Hinc Gregorius Magnus quatuor Concilia generalia quae iam celebrata fuerant, velut quatuor Evangelia se venerari testatus est.

Saepius vero successor illius qui Concilio Hierosolymitano dixit: *Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere* (1), sententiam profert ipsa principis Apostolorum auctoritate; nam ut ait S. Caelestinus: *Petrus in Sede sua semper vivit et praesidet. Ad Ecclesiam Romanam,* teste Irenaeo, *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles*, illiusque auctoritatem semper omnis Catholica Christi Ecclesia et universales semper Synodi amplectentes, in cunctis sequutae sunt.

Memoranda est imprimis fidei formula cui Patres Concilii VIII subscripserunt: « In Sede Apostolica immaculata est semper Catholica reservata religio et sancta celebrata doctrina..... Ab huius ergo fide atque doctrina separari minime cupientes, et Patrum et praecipue sanctorum Sedis Apostolicae Praesulum sequentes in omnibus constituta.... Quoniam sicut praediximus sequentes in omnibus Apostolicam Sedem et observantes eius omnia constituta speramus, ut in una communione quam Sedes Apostolica

(1) Act. XV. 7.

praedicat esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas, promittentes etiam sequestratos a communione Ecclesiae Catholicae, id est non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. »

Ex quibus facile dignoscitur omnes qui Catholico nomine censentur, arctissimo teneri officio Ecclesiam audire quae ipsis veram fidem doctrinamque a Christo acceptam proponit et credendam indicit, ac deberi decretis Conciliorum generalium, et Constitutionibus SS. Pontificum de doctrina fidei decernentium, plenam et absolutam mentis et oris obedientiam: unde docendi sunt fideles hoc officium, et ad illud libenti animo, prout Christi discipulos et Ecclesiae filios decet, obeundum incitandi, ipsis etiam proposita, quam subituri sunt omnes refragantes et increduli, poena aeterna.

ADVERTENDA

In hoc concilio constitutiones dogmaticae Summorum Pontificum decretis Conciliorum oecumenicorum omnimode aequiparantur per haec verba: « Fides catholica decretis Conciliorum oecumenicorum et constitutionibus dogmaticis SS. Pontificum definitur ac sancitur. » Utrisque debetur « ab omnibus qui catholico nomine censentur *plena et absoluta* mentis et oris obedientia, » ergo non relativa, nec conditionalis, nec suspensiva, qualis necessario esset, si de episcoporum consensu, sive antecedente, sive concomitante, sive subsequente inquirendum foret. Ne verbulum quidem ibidem recurrit de talis consensus necessitate ut irreformabilia evadant iudicia Romani Pontificis « cuius auctoritatem semper omnis Catholica Christi Ecclesia et universales semper Synodi amplectentes,

in cunctis *secutae sunt.* » En, iuxta patres Avenionenses, agendi ratio Synodorum universalium erga auctoritatem Romani Pontificis: eam in cunctis sequuntur, nedum ipsius decreta dogmatica examini dubitativo subiicere attentent. Egregium sane testimonium fidei provinciae Avenionensis ipsiusque traditionibus plane consentaneum, uti patet ex Concilio Avenione celebrato anno 1725, cuius verba in sententiam nostram mirifice conspirantia memorare non abs re erit (Tit. I. de fide cath. et eiusdem professione prooemium): « Nec minus exinde necessarium erat ac condecens, huic Sancto Templo Sacerdotem magnum praefici, qui subortas vel excitandas ex causis maioribus et ex fratrum contentione interminabiles quaestiones ac controversias iure summae et ultimae cognitionis *irreformabili suo ex Cathedra prolato iudicio* dirimeret. » Quibus subiungunt Patres, systema Bossuetii et aliorum directe impugnantes: « Alii tandem, Religionis praestantiae eloquentissimis scriptis magnifice plaudentes, parce tamen ac haesitanter de indefectibili sedentium in Petri cathedra Summorum Pontificum fide atque doctrina loquuntur et scribunt. De his autem hominibus, dum sacrosanctae Ecclesiae aedificium, *affectata unitatis professione,* elogiis extollant suis, si ad nimiam tamen veri reticentiam attenderis, iure credas, eos Ecclesiae fundamentum, *subtracto infallibilitatis caemento,* circum effodere velle.... » Et inferius: « Dolendum quod viri, doctrinae nomine ac ipsa etiam doctrina praestantes, aut ignorent aut ignorare se fingant, quo humili et sincero cultu, qua veneratione Pontificiae Decretales ac Vaticani oracula *uti fidei Symbolum ipsum* olim excipiebantur.....» Ac demum: « quis tandem rationis expers, qui excelso Ecclesiae throno, id est, Petri cathedrae, hoc deneget

veracitatis ac *infallibilitatis donum,* quod Moysi cathedrae, docentibus Scribis ac Pharisaeis, a Christo ipso legimus attributum? » Et coronidis ad instar: « quicumque itaque in hac provincia Orthodoxi vocamur et sumus, non caeca, ut aiunt, obedientia, sed rationabili obsequio, non ut ancillae filii, sed ut liberae, quae ex Petri cathedra emanant dogmata, non ut unius hominis, aut humanae vocis sonum, *sed ut divini Spiritus germana oracula* reverenter excipere gloriemur. » Et haec sufficiant de Provincia Avenionensi.

Concilium Burdigalense pro provincia Burdigalensi anno 1850 celebratum.

(Interfuerunt et subscripserunt Archiepiscopus Burdigalensis, et Episcopi Rupellensis, Petrocorensis, Aginnensis, Engolismensis, Lucionensis, Pictaviensis.)

Titul. IV. Caput I. De Summo Pontifice.

Quod de Summo Pontifice definierunt Florentini Patres, hoc et nos toto animo profitemur: « Sanctam nempe Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum; et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; et ipsi, in Beato Petro, pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam, a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse » (1).

Ad Romanam igitur Ecclesiam tamquam ad unitatis

(1) Concil. Flor. tom. XIII. Edit. 1. Labb. col. 515.

Catholicae Centrum, « in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas » (1), « propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles » (2). Primatus enim ille, tum honoris, tum iurisdictionis, divinitus Beato Petro eiusque successoribus collatus, in omnes omnino Christi Fideles extenditur, nec ullis aut locorum aut temporum restringitur limitibus, cum integrum ovile, agnos videlicet et oves, in perpetuum pascere, fratresque suos, nullo prorsus excepto, confirmare, a Christo Petrus iussus fuerit. Idcirco, plane S. Cypriano assentimur dicenti: *Qui Ecclesiae renititur et resistit; qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit* (3)?

Omnia proinde decreta et leges quae ab Apostolica Sede prodeunt, profitemur veram esse ac sinceram pro universali Ecclesia credendorum normam et conscientiae regulam. *Deus quippe,* ut ait S. Augustinus, *in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis* (4).

Unde eorum omnium temeritatem damnamus, qui supremae Summi Pontificis auctoritati refragantes, de sententiis eius ac iudiciis ad Ecclesiam appellare non metuunt; quasi a Capite suo Ecclesia divelli umquam possit, aut alibi esse quam ubi Petrus.

Errores ergo quoscumque, quovis tempore et modo a Sancta Sede damnatos, damnamus; signanterque ea omnia quae, in Bulla *Auctorem Fidei,* S. P. Pius VI improbat,

(1) Concil. VIII. Gener. Constantin. IV, Tom. VIII. Edit. 1. Labb. col. 989.

(2) S. Iren. lib. III, adversus haeres. C. III, n. 2.

(3) S. Cypr. de unit. Eccl. Edit. Pamel. Paris. 1633.

(4) Epist. CV, ad Donat. n. 16, alias Epist. CLXVI.

reprobat et damnat (1), pro improbatis, reprobatis et damnatis, habenda profitemur.

Ad Apostolicam Sedem referendae sunt causae maiores, et iuxta Innocentii I verba, *quaestiones super anxiis rebus, ut inde quae tenenda sit via perspectum habeatur* (2).

Hic residet auctoritas quae Concilia Oecumenica, iure proprio, convocat, illis praeest, illorum decreta confirmat, et ab iis, prout opus est, dispensat.

Hic eminet Summus ille Pastor, qui, per universum orbem, solus Dioeceses instituit vel supprimit, coadunat vel dividit, iisque praeficit Episcopos et iurisdictione *immediata* ubique pollet.

Quaecumque tandem iura, quaecumque praerogativae Summo Pontifici competunt, ea omnia filiali affectu summaque observantia agnoscimus et reveremur. Hanc porro observantiam, hoc obsequium praestando, Ecclesia quaeque particularis multo magis sibi consulit quam ipsi omnium Ecclesiarum Matri et Magistrae. *Ibi enim,* iuxta S. Innocentii verba, *universis et murus est et securitas; ibi portus expers fluctuum, et bonorum thesaurus innumerabilium* (3).

Quo demum plenius testatum faciamus quali corde, mente et animo, Romano Pontifici, Pastorum Principi, omniumque fidelium Patri, devoveamur et adhaereamus; nos Apostolicae Sedis, non tantum mandata recepturos humiliter et quam diligentissime exsecuturos, verum etiam monitis, consiliis et votis pie obtemperaturos esse, declaramus ac spondemus.

(1) Sub finem, post n. LXXXV.
(2) Epist. XXIII, ad Concil. Milevit.
(3) Epist. XI.

Concilium Burdigalense anno 1850.

Litterae quibus Concilii Provincialis Decreta Summi Pontificis revisioni approbationique subiiciuntur.

Beatissime Pater

Sancta Sedes Apostolica seu Romanus Pontifex in universum orbem Primatum obtinet; perennemque Apostolatum ac pastoralem curam, Petro et Successoribus Petri a Christo tradita, exercet. Inde omnium Ecclesiarum iura dimanant; et cum sit omnium Ecclesiarum Mater et Magistra, ad illam, propter potentiorem eius principalitatem, necesse est omnes Ecclesias convenire.

Impiam reiicimus doctrinam eorum qui Summi Pontificis iurisdictionem ad certos limites restringere voluerunt, quique cum Praesidem Ecclesiae eo solum titulo agnoverunt, ut aliorum Praesulum negligentiae supplerct. Ad eum usque contemptus cumulum in Romanum Pontificem processerunt, ut ei nullam in aliis Dioecesibus, nisi occurrentibus *extraordinariis* casibus, relinquerent. Nos, tales doctrinas abhorrentes, Pii VI Constitutiones, *Super soliditate Petrae* et *Auctorem Fidei,* pie ac veneranter amplectimur.

Beatum Petrum, in Summo Pontifice legitimo, viventem, fideique veritatem quaerentibus praestantem, cum S. Petro Chrysologo reveremur. Agnoscimus, cum Hadriano I, Christum vices suas reliquisse cuique Summo Pontifici, ut Capiti omnium Ecclesiarum per orbem refulgenti. Cum duobus Caesaribus, Graeco Latinoque, Eugenium IV

Patrem orbis terrarum nominantibus, ita nos Pium IX Parentem nostrum omniumque fidelium Christi, ut pios filios decet, laeti profitemur; idemque de omnibus Romanis Pontificibus qui legitimam hanc supremam Auctoritatem adierunt, sentimus.

Eundem habemus ut omnium Christianorum Doctorem, cuius auctoritas, sine Concilio, sufficit, iuxta S. Flavianum ad S. Leonem Magnum scribentem, ut destruatur haeresis. Occupat enim Sedem in qua, teste Tertulliano, est finis quaerendi, statio credendi, expunctio inveniendi.

Ipsum a Domino Iesu Christo accepisse plenam potestatem pascendi, regendi et gubernandi Universalem Ecclesiam, certissime credimus: *Nihil enim excipitur, ubi distinguitur nihil; nec modo ovium sed et Pastorum ille solus omnium Pastor est.* Unde detestamur insaniam quorumdam novatorum qui Episcopum quemlibet Pontifici Romano adaequarunt.

Petrus, in persona et per os successorum, loquitur in solemnibus fidei definitionibus; et in Cathedra Apostolica, novimus integram et veram Christianae Religionis soliditatem.

His principiis innixi, nullam partem habemus cum iis qui restringere praesumunt quascumque praerogativas vel iura Summo Pontifici collata.

Numquam, Deo dante, divellemur a Cathedra unitatis, in qua posita est doctrina veritatis. Ibi enim fides tuta spirat; fides, scilicet, pro qua rogavit Christus ne deficeret, et in qua iussit ut Apostolorum Princeps confirmaret fratres suos. *Nec tantae dementiae erimus, ut orationem illius cuius velle est posse, audeamus in aliquo vacuam putare, cum omnium haereticorum commenta,*

tam per Petrum, quam per successores suos, fuerint convicta, expugnata ac reprobata; cum etiam fratrum corda in fide Petri, quae nec deficit nec usque in fine deficiet, confirmata fuerint. Verba sunt Leonis IX. Scimus ibi potissimum resarcienda damna fidei, ubi fides, ait S. Bernardus, non potest sentire defectum. Haec est autem huius praerogativa Sedis, quae certa scientia pronuntiat; cuius definitiones solemnes a Conciliis Generalibus semper fuerunt receptae, numquam reiectae; qua approbante, Concilia fiunt Generalia; qua improbante, Generalia non sunt; cuius tandem, ut cum Antecessoribus nostris anno 1653 loquamur, *iudicia, pro sancienda fidei regula, divina ac summa auctoritate nituntur; cui Christiani omnes, ex officio, ipsius quoque mentis obsequium praestare tenentur.*

Confitemur etiam iudicium Romani Pontificis, ut sit ratum et firmum, non indigere assensu aliarum Ecclesiarum: tali enim assensu expectato ianua aperiretur pervicaciae novatorum, qui numquam sufficienter probatum aut manifestatum contenderent Ecclesiarum ipsos condemnantium consensum, ut funesta saepius constitit experientia. Hanc igitur sententiam, a legatis Hadriani II in octavo Concilio oecumenico prolatam, amplectimur: *Nobis, inquiunt, non licet rescindere iudicium Sacrorum Romanorum Pontificum; hoc enim contrarium est canonicis institutis.*

Ecclesiarum Galliae decus et splendor, Fenelonius, Archiepiscopus Cameracensis, non expectavit aliarum Ecclesiarum consensum, post condemnationem Romae pronuntiatam libri a se publicati: *Roma locuta est, causa finita est.*

Eadem mens, eaedem dispositiones in nobis sunt, et,

ut speramus, in nobis erunt, et permanebunt erga Sanctam Sedem, ut a nobis discant Clerus populusque curae nostrae creditus, quemadmodum oracula Petri suscipienda sint, quando animadvertent alacritatem Episcoporum suorum in eis amplectendis et proclamandis, statim atque satis sibimet innotuerint; nec aliud tunc, nisi simplicis adhaesionis et acceptationis, iudicium praestabimus.

Et haec sunt, Beatissime Pater, quae declaranda censuimus.

(Subscripserunt Archiepiscopus Burdigalensis et Episcopi Rupellensis, Petrocorensis, Aginnensis, Engolismensis, Lucionensis, et Pictaviensis.)

ADVERTENDA

Profitentur Patres Burdigalenses « omnia decreta et leges quae ab Apostolica Sede prodeunt veram esse ac sinceram pro universali Ecclesia credendorum normam et conscientiae regulam. » Quomodo autem decreta, *erroribus circa fidem obnoxia,* esse vel dici possent, « *vera et sincera* credendorum norma et conscientiae regula, » nemo sobriae ac pacatae mentis umquam intelliget. Qua propter de nativa et intrinseca irreformabilitate iudiciorum Romani Pontificis intime persuasi, cuiuslibet assensus aliarum Ecclesiarum necessitatem penitus excludunt Patres Concilii Burdigalensis sequentibus verbis: « Confitemur etiam iudicium Romani Pontificis, ut sit ratum et firmum, non indigere assensu aliarum Ecclesiarum: tali enim assensu expectato, ianua aperiretur pervicaciae novatorum, qui numquam sufficienter probatum aut manifestatum contenderent Ecclesiarum ipsos condemnantium consensum, ut funesta saepius constitit experien-

tia. » Ac proinde, nedum sibi ullum ius arrogent discutiendi vel examini dubitativo subiiciendi apostolicas constitutiones « suam in eis amplectendis et proclamandis, *statim atque satis sibi innotuerint*, alacritatem exhibent; nec aliud tunc, nisi *simplicis adhaesionis et acceptationis iudicium se praestituros* » pollicentur. Nec aliter profecto loqui potuissent, memores gravis huiusce animadversionis Clementis XI in quosdam praesules Gallicanos: « quis enim vos constituit iudices super nos? Numquid inferiorum est de superioris auctoritate decernere eiusque iudicia examinare? » Quibus omnibus invicte conficitur, Patres Concilii Burdigalensis suam suorumque populorum circa infallibilitatem Romani Pontificis fidem luculenter patefecisse.

Sane, taliter loquendo, nullatenus illa excludere intendebant media quibus ordinarie utitur Romanus Pontifex, ut sibi constet de Ecclesiarum fide circa punctum aliquod in controversiam adductum, praeviam scilicet Episcoporum consultationem, theologorum sensus exquisitos, Spiritus Sancti invocationem, preces coram Deo effusas etc. Sed haec sunt *media* quae adhibere solet ac debet, ut, tuta conscientia, ad definiendam aliquam veritatem progredi queat, non vero *conditionem* de qua adimplenda vel adimpleta fidelibus anxie inquirendum foret, cum certo certius sit Summum Pontificem, eo ipso quod infallibilitatis praerogativa gaudet, omnia illa adhibuisse media quae ad elucidandam veritatem necessaria existebant. Quid vero? Nonne idem prorsus dicendum est de Concilio generali, cui haud minus incumbit officium veritatem sedulo indagandi, virorum peritorum adiutorium quaerendi, Spiritus Sancti auxilium efflagitandi etc. Quisnam autem, rectae rationis compos, concilio cuidam occume-

nico infallibilitatem *abiudicabit,* usquedum sibi de omnibus hisce conditionibus adimpletis constiterit ? Quemadmodum ergo inerrantiae conciliorum generalium huiusmodi conditiones apponere absonum penitus foret, cum ex promissionibus Christi certiores simus *a priori* eas numquam pro necessitate defuturas fore, ita de Romano Pontifice per se liquet quod, infallibilis cum sit, omnia semper ad indagandam veritatem apta adhibebit media, quae inter primum absque ullo dubio ac ordinarium locum obtinet Episcoporum consultatio. Quapropter aerem frustra verberat ille, qui, meram inducens confusionem inter veritatis detegendae *media* ordinaria atque usitata et *conditionem* sine qua non infallibilitatis, restrictionem ponit ubi nullus datur restringendi locus.

Concilium Albiense pro provincia Albiensi anno 1850 celebratum.

(Interfuerunt et subscripserunt Archiepiscopus Albiensis, et Episcopi Ruthenensis, Cadurcensis, Mimatensis, necnon Episcopi Elnensis Vicarius Generalis procurator.)

Tit. II. Decretum de Auctoritate Summi Pontificis.

Fide certum est « Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et esse verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem et doctorem; et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam fuisse. » (Conc. Florent.)

Quapropter agnoscimus et profitendum censemus:

1°. Romanum Pontificem canonice electum, sive Romae, sive alibi sedeat, caput esse atque centrum Catho-

licae unitatis, et in tota Ecclesia honoris et iurisdictionis primatum tenere, quem ei contulit ipsemet Christus in persona B. Petri, cuius est successor legitimus.

2°. Ipsius solius esse Episcopos creare, confirmare et instituere per orbem universum; Concilia Oecumenica convocare, eis praeesse, ac eorum acta propriâ auctoritate munire et confirmare, qua deficiente nullum robur obtinerent; posse etiam maiores causas cognoscere, appellationes ab Episcoporum iudiciis suscipere, et suam ubique terrarum iurisdictionem exercere.

3°. « Quia non potest Domini Nostri Iesu Cristi praetermitti sententia: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam;* in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio » (Conc. Nic. II.), et servabitur. Cum igitur Sancta Sedes sit in fide indefectibilis, ubi per decretum solemniter emissum Summus Pontifex proponit aliquid ut Catholica fide credendum, ab omnibus huiuscemodi decreto etiam internus debetur assensus. (Bulla *Vineam Domini Sab.*)

4°. Propter supremam illam « perpetuam et numeris omnibus absolutam potestatem pascendi, regendi et gubernandi tam populos quam populorum ipsos Pastores, quae Summo Pontifici vi primatus divinitus accepti competit » (Pius VI, denuntiat. Apost. cap. VII. sect. 2.), leges condere potest quibus universi christiani veram obedientiam praestare tenentur; quae proprio robore valent, independenter ab acceptatione subditorum et assensu aut sanctione potestatis saecularis, et a quibus nemo, nisi ipso Summo Pontifice consentiente, dispensari et eximi potest.

5°. Ipsi pariter competit ab omnibus dispensare etiam Conciliorum Generalium legibus: uno verbo, ubi de iure

positivo et disciplina ecclesiastica agitur, nihil est quod in casu necessitatis aut magnae utilitatis, de quo ipsius est diiudicare, facere non valeat.

6°. Omnium Episcoporum est, hisce praesertim difficillimis temporibus, quibus omnis impetitur et nutat auctoritas, invigilare et adlaborare ut omnes, Romano Pontifici arctissimis coniuncti vinculis, huic unitatis centro firmiter adhaereant, et undequaque firma et inconcussa perseveret Apostolica illa Potestas ex qua omnis episcopalis et sacerdotalis auctoritas dimanat et roboratur.

ADVERTENDA

Ex indefectibilitate Sanctae Sedis Patres Albienses recte concludunt irreformabilitatem iudiciorum Summi Pontificis. Nam ita loquuntur: « Cum igitur Sancta Sedes sit in fide indefectibilis, ubi per decretum solemniter emissum Summus Pontifex proponit aliquid ut catholica fide credendum, ab omnibus huiuscemodi decreto etiam internus debetur assensus. » Neutiquam porro haec asserere potuissent, absque ulla restrictione vel conditione, si ipsis persuasum fuisset ad irreformabilitatem huiuscemodi decretorum ullum requiri Ecclesiae assensum. Dicunt: «ubi,» *Dès que, du moment que,* sine ulla mora; adduut «ab omnibus etiam internum deberi assensum,» ergo et ab Episcopis, nihil enim excipitur, ubi distinguitur nihil. Et ut omne praecaveatur dubium de ipsorum sententia, sic pergunt: « Propter Supremam illam perpetuam et *numeris omnibus absolutam potestatem*, pascendi, regendi et gubernandi tam populos quam populorum pastores, leges condere potest summus Pontifex quibus universi Christiani veram obedientiam praestare tenentur, *quae proprio robore valent, independenter ab acceptatione subditorum.*»

Hinc ne solemnis quidem haec concilii Nicaeni II. declaratio ipsis sufficit: « In sede apostolica immaculata est semper servata religio; » sed addunt: « et servabitur. » Quae verba satis per se aperta sunt, nec ullo indigent commentario.

Concilium Tolosanum pro provincia Tolosana anno 1850 celebratum.

(Interfuerunt et subscripserunt Archiepiscopus Tolosanus, et Episcopi Montis Albani, Appamiensis, et Carcassonensis.)

Titulus I. Caput I. De Summo Pontifice.

Christus Salvator noster regressurus ad Patrem, domum suam, columnam et firmamentum veritatis, Ecclesiam scilicet Dei vivi (1) in omnes gentes diffundendam (2), super unum Petrum Apostolorum principem, tamquam supra Petram solidissimam (3) ac immobile fundamentum (4), aedificavit; cui omnimodam in spiritualibus concessit potestatem, his verbis: *Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis* (5). Et

(1) 1 Tim. III, 15.

(2) Psalm. II, 8; Is. LIV, 1 et seqq.; Matth. XXVIII, 18 et seqq.

(3) Origen. in Exod. Hom. V, n. 4, tom. II, edit. Bened. p. 145.

(4) S. Ioann. Chrysost. de Poenit. Hom. III, n. 4, tom. II, edit. Bened., p. 300.

(5) Matth. XVI, 18 et seq.

Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos (1). Et: *Pasce agnos meos.... Pasce oves meas* (2).

His scripturarum testimoniis edocti, et sanctorum Patrum Traditionem sequentes, ac praecipue Concilii Florentini definitionem, Patres Concilii Provincialis Tolosani haec de Summo Pontifice tenent et praedicant:

I.

Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere; et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse (3).

II.

Haec igitur Apostolica supremaque Sedes omnium Ecclesiarum Mater et Magistra (4) iure divino constituta, centrum est indefectibile Catholicae unitatis, in quo, velut in arce inexpugnabili, Petrus per Romanum Pontificem loquitur (5), semper in suis successoribus vivit, et iudi-

(1) Luc. XXII, 32.
(2) Ioann. XXI, 16 et seq.
(3) Concil. Florent. in Definitione. Collect. Harduin. tom. IX, col. 423
(4) Concil. Trident. Sess. VII, de Baptism., can. 3.
(5) Concil. Chalcedon. Act. II. Collect. Harduin. tom. II, col 306.

cium exercet (1) atque praesidet, et praestat quaerentibus fidei veritatem (2).

III.

Ad hanc ergo Ecclesiam, propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam (3), non solum pro eiusdem fidei conformitate; sed etiam per illam reverentiam, subiectionem, et obedientiam, quae eius supremae in Ecclesiam universalem gubernandam potestati debentur. Quapropter declaramus et contestamur, Apostolicis Constitutionibus, independenter ab omni saeculari sanctione, ita inesse vim ac nativum robur, ut sint norma credendorum agendorumve regula qua vere et coram Deo omnes obstringuntur.

IV,

Maiorum exempla, et maxime Sancti Exuperii Tolosani Episcopi, veneranda vestigia sectantes (4), statuimus in causis maioribus, aut gravioribus et anxiis quae suboriri possent quaestionibus, nihil a nobis decernendum quin huius supremae Sedis oraculum consuluerimus. Cuncta etiam eius responsa atque mandata, veluti ab Apostolico culmine (5), vel potius ab ore Patris Patrum (6)

(1) Concil. Ephes. Act. III. Collect. Harduin. tom.I, col. 1478.

(2) S. Petri Chrysol. Epist. ad Eutych. Collect. Concil. Hard., tom. II, col. 23.

(3) S. Iren. contra Haeres. lib. III, cap. 3, n. 2, edit. Bened., pag. 175 et seq.

(4) Epist. S. Innocent. I, ad Exuper. Episc. Tolosan. n. 1; ap. Coustant. Epist. Rom. Pontif., col. 790.

(5) Epist. Episcop. Afric. ad Theodor. pap. Concil. Later. Collect. Harduin. tom. III, col. 734.

(6) Concil. Roman. 531. Collect. Harduin. tom. II, col. 1111.

delapsa humiliter accipiemus, quam diligentissime exequemur, totis viribus observabimus et faciemus ab omnibus observari (1).

ADVERTENDA

Patres Concilii Tolosani « declarant atque contestantur apostolicis constitutionibus ita inesse *vim ac nativum robur* ut sint norma credendorum agendorumve regula, qua vere et coram Deo omnes obstringuntur. » Ergo non aliunde, extraneo scilicet cuiuslibet concursu vel assensu, sed ex se ipsis *vim* tenent ut sint regula fidei: ergo ex se ipsis, ex *nativo suo robore* irreformabiles sunt. Nam, quod « norma credendorum agendorumve regula qua vere et coram Deo omnes obstringuntur, » sit absolute irreformabilis, a nemine ambigi potest nec reapse ambigitur. Quamobrem « cuncta supremae sedis responsa veluti ab ore Patris Patrum delapsa sese humiliter accepturos » profitentur Patres Tolosani. De praevio autem examine, vel de praehabita constitutionum apostolicarum disquisitione, nimirum ut admittantur vel non, ne vestigium quidem hic occurrit; imo talis agendi ratio per « humilem acceptationem et diligentissimam executionem » prorsus excluditur.

(1) Pontif. Roman. de Consecrat. elect. in Episc.

Concilium Claromontense pro provincia Bituricensi anno 1850 celebratum.

(Interfuerunt et subscripserunt Archiepiscopus Bituricensis et Episcopi Claromontensis, Tutelensis, Lemovicensis, Aniciensis et Sancti Flori.)

Tit. I. *Decretum de Summo Pontifice.*

Primum quidem mentis oculos et cordis affectus convertimus ad sanctam illam Apostolicam sedem Beatissimi Petri quem divinitatis suae assertorem egregium Christus Dominus posuit Ecclesiae suae inexpugnabile fundamentum (1), cuius fidem numquam defecturam promisit, mandans ut confirmaret fratres suos (2), cui claves regni caelorum et plenam ligandi atque solvendi commisit potestatem (3), atque pascendos totius ovilis sui agnos et oves concredidit (4). Et quoniam tota a saeculis conclamat traditio Petrum per Romanum Pontificem loqui (5), et semper in suis successoribus vivere et iudicium exercere (6), et ipsius cathedram omnium Ecclesiarum matrem esse et magistram (7);

Ideo plena fide et ex intimis praecordiis cum Sancto Oecumenico Concilio Florentino profitemur « Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum et ipsum Pontificem Roma-

(1) Matth. XVI. 18.
(2) Luc. XXII. 32.
(3) Matth. XVI. 19.
(4) Ioan. X. 16.
(5) Conc. Chalced. Act. 2.
(6) Conc. Ephes. act. 3
(7) Conc. Trid. Sess. XVI, de Bapt.

num successorem esse B. Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi Universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Conciliorum Oecumenicorum et in sacris Canonibus continetur. » Quaecumque igitur credenda, quaecumque servanda decernit Summus Pontifex, haec credenda et servanda amplectimur, quae damnat et respuenda iudicat, haec damnamus et respuimus, declarantes insuper sanctione quâvis potestatis civilis nullatenus indigere Apostolicas Constitutiones, tum dogmaticas, tum disciplinares.

Summus ab omnibus Christi fidelibus et ministris rependatur honor, et plenum peramanter praestetur obsequium B. Petri Successori quem omnium Patrem et Dominum fecit Christi charitas et auctoritas; et haeresis nota affecti maneant qui Primatum eius figmentum humanum Apostolicis saeculis ignotum ausi sunt asserere. Reprobata etiam maneat contumeliosa Domini extranei appellatio qua Beatissimum Patrem nonnulli attentaverunt appellare.

ADVERTENDA

Nisi Summum Pontificem in rebus fidei ac morum decernendis infallibilem tenuissent Patres Claromontenses, suam fidei regulam sequenti sub forma texere ipsis cordi fuisset: «Quaecumque credenda, quaecumque servanda decernit Summus Pontifex una cum Episcopis ipsi unitis, haec credenda et servanda amplectimur. » Sed non ita. Prolato Concilii Florentini decreto, statim ac immediate hanc inde conclusionem deducunt, et quidem simplici-

ter atque absolute, nulla prorsus interiecta conditione: « Quaecumque igitur credenda, quaecumque servanda decernit Summus Pontifex, haec credenda et servanda amplectimur. » Ergo, quantum pertinet ad Concilium provinciale, in re nondum ab Ecclesia solemniter definita, sententiam suam de infallibilitate Romani Pontificis publica luce donaverunt Patres provinciae Bituricensis.

Concilium Lugdunense pro provincia Lugdunensi anno 1850 celebratum.

(Interfuerunt et subscripserunt Cardinalis Archiepiscopus Lugdunensis, et Episcopi Oeduensis, Lingonensis, Divionensis, necnon Vicarii Generales Procuratores Episcoporum Sanclaudiensis et Gratianopolitani.)

Decretum IX. De Summo Pontifice.

1. Quamdiu Christus in terris visus est et cum hominibus conversatus est (1), Ecclesiae quam efformaverat dux ipse fuit et supremus moderator. In ea fovenda, docenda, pascenda, regenda totus erat, spirans in eam spiraculum vitae, ut usque ad extrema terrae cresceret in augmentum Dei (2).

Ad Patrem reversurus, suam non dereliquit sponsam, sed invisibiliter, usque ad finem saeculi, in ea permanens, visibilem sibi vicarium elegit, et caput Ecclesiae constituit Simonem Petrum, cui suae erga eam charitatis universa munera demandavit.

2. Ecclesiae nimirum, si civitatis imagine adumbratur, Petrus est fundamentum: « Tu es Petrus, et super hanc

(1) Bar. III, 38.
(2) Coloss. II, 19.

petram aedificabo Ecclesiam meam» (1). Si caeli janua declaratur, Petrus est caelestis clavicularius: «Tibi dabo claves regni caelorum» (2). Si ovile appellatur, Petrus est supremus Pastor: «Pasce agnos meos, pasce oves meas» (3). Si demum, uti revera est, columna et firmamentum veritatis (4) nuncupatur, Petrus est certum fidei munimen: «Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos» (5).

3. Quoniam vero adversus Ecclesiam supra Petrum fundatam portae inferi non praevalebunt (6), immortalis Ecclesiae inconcussum fundamentum perpetuo manere necesse est. Petrus igitur in Ecclesia Christi semper vivit: Petrus in singulis successoribus loquitur, ut in omnem terram exeat vox eius et ipsius verba in fines orbis terrae (7).

Hanc supremi Pastoris vocem omnes sciunt oves ex ovili, quod est universa Ecclesia. Hanc ab apostolicis temporibus audierunt cuncti, tum orientalis, tum occidentalis plagae, doctores. Huic omnia, a Nicaeno ad Tridentinum, acclamaverunt oecumenica Concilia.

Hanc dulcissimam universalis Pastoris vocem scimus et nos, qui in loco pascuae a Domino collocati, Lugdunensi videlicet Ecclesia, ab Irenaeo cum amore Petri purissimam hausimus fidei substantiam.

Os nostrum, a sexdecim saeculis, ad Beati Petri Cathedram patet, et, ut splendidissimum ei amoris et obe-

(1) Matth. XVI, 18.
(2) Ibid. 19.
(3) Ioann. XXI, 15.
(4) 1 Tim. III. 15.
(5) Luc. XXII, 32.
(6) Matth. XXI, 18.
(7) Psalm. XVIII, 5.

dientiae praestemus obsequium, in ipsasmet parentis nostri voces erumpimus: «Ad hanc Ecclesiam maximam et antiquissimam et omnibus cognitam, in gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo fundatam et constitutam, propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles» (1).

Quin ut manifestius appareat Ecclesiae Lugdunensis haud interrupta traditio, singulari animi exultatione commemoramus, sexcentis abhinc annis, in hanc nostram civitatem, ex omnibus Europae et Asiae partibus, convenisse Episcopos, in oecumenicam synodum coactos, et solemniter utraque lingua, graeca et latina, de Gregorio X proclamasse quod nos de Pio IX proclamamus, esse vicarium Christi, successorem Petri, rectorem universalis Ecclesiae (2).

4. Summus quidem Pontifex, legitimus Petri successor, habet in universa Ecclesia primatum honoris et iurisdictionis, ita ut ex eo tamquam e spirituaiis auctoritatis fonte omnia procedant, et ad eum tamquam ad centrum unitatis omnia conveniant. Proprio iure, et absque ulla a temporalibus potestatibus dependentia, decreta facit circa fidem, mores et Ecclesiae disciplinam, quibus omnes christiani corde et animo subiici debent. Est supremus iudex, ad quem maiores et difficiliores causae omnium Ecclesiarum definiendae referuntur (3).

5. Nos itaque his principiis adhaerentes, apostolicis constitutionibus specialem assensum renovandum duximus, quibus, a Pio VI ad Pium IX, omnes Summi Pontifices errores damnaverunt recentiores.

(1) Iren. adv. Haeres. libr. III, c. 3.
(2) II Conc. Lugdun. Oecum. Constit. art. 2.
(3) S. Leo IX. Ep. ad Pet. Patriarch. Antioch.

6. Si quis igitur, cum nonnullis huius aevi scriptoribus, asserere vel supponere praesumat Romani Pontificis spiritualem primatum, quasi principis extranei auctoritatem contemni vel renui posse, aut ab humano iure originem duxisse, ab omnibus ut impius habeatur, catholico nomine prorsus indignus.

ADVERTENDA

In sententia infallibilitati pontificiae opposita, nonnisi de Ecclesia docenti universa, id est de corpore Episcoporum cum Papa unito, dici potest quod sit *supremus controversiarum iudex*. Hoc apprime compertum erat Patribus concilii Lugdunensis, dum decreta sua conderent, attamen eos minime impedivit quominus ad Romanum Pontificem veluti ad *supremum iudicem* maiores et difficiliores causas omnium Ecclesiarum definiendas referrent, ne minima quidem mentione superaddita de necessitate alicuius Episcoporum consensus ad *supremum* ac *definitivum* constituendum iudicium. Hinc fit quod ista vox *iudex supremus,* de Romano Pontifice usurpata, eius infallibilitatis adversariis tantopere displicet, et quidem iure ac merito; nam quod ille infallibilis sit ac esse debeat, qui iudicis supremi controversiarum in Ecclesia munus et officium adimplet, apud omnes catholicos in confesso est. Praeterea, dum dicunt Patres Lugdunenses, et quidem absolute atque inconditionatè, « decretis Romani Pontificis circa fidem et mores omnes Christianos corde et animo subiici debere », eo ipso eius inerrantiam pronuntiant, cum rationi aeque ac fidei repugnet, omnes christianos, id est, eos qui sunt undique pastores ac fideles, errorem amplectendi officio obstrictos existere. Hactenus de synodo Lugdunensi.

Concilium Senonense pro provincia Senonensi anno 1850 celebratum.

(Interfuerunt et subscripserunt Archiepiscopus Senonensis, et Episcopi Nivernensis, Trecensis, et Molinensis.)

Tit. I. Caput I. De Ecclesia et de Romano Pontifice ipsius Capite.

..... Christus ut unitatem manifestaret, Ecclesiamque faceret inconcussam, fundamentum posuit Petrum dicens: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (1); et: *Tibi dabo claves regni caelorum* (2); et: *Pasce agnos meos* (3), *pasce oves meas* (4); et: *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* (5). Ideo Romanum Pontificem, Petri successorem agnoscentes, Ecclesiam Romanam omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram profitemur, in qua fides Petri vivit et praesidet numquam defectura, ad quam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam

Quocirca nos provinciae Senonensis Metropolitanus et Episcopi in Concilio congregati volumus frequenter fidelibus inculcari hoc solemne Florentinae Synodi decretum: « Definimus Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem romanum successorem esse Beati Petri, apostolorum principis, et verum

(1) Matth. XVI, 18.
(2) Ibid. XVI, 19.
(3) Ioan. XXI, 15.
(4) Ioan. XXI, 16.
(5) Luc. XXII, 32.

Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur. »

Igitur sciant omnes si qua exoriatur circa fidem aut mores controversia, Romani Pontificis esse *doctrinas approbare vel reprobare, confutare errores, tenenda determinare* (1), tam in iis quae spectant ad disciplinam eiusdem esse sive leges novas condere, sive antiquos Canones redintegrare et urgere, sive eosdem relaxare vel immutare, prout locorum vel temporum necessitas expostulaverit; ideoque Sanctae Sedis Constitutiones sive dogmaticas, sive practicas, minime a potestatis saecularis placito suam vim ducere agnoscimus.

Nec grave cuiquam iugum videatur, sed suave, per quod sic omnes ad unitatem compinguntur ut ad singulos descendat pastoris supremi sollicitudo, ideoque illud Claraevallensis cuilibet usurpare liceat: « Tu princeps Episcoporum, tu haeres Apostolorum, tu potestate Petrus, unctione Christus. Tu, cui claves traditae, cui oves creditae; habent alii sibi assignatos greges singuli singulos; tibi universi crediti; uni unus; nec modo ovium sed et pastorum, tu unus omnium pastor. »

ADVERTENDA

Neque in hac Synodo reperire est iota apicemve quo indicetur necessitas alicuius cooperationis aut consensus Episcoporum, ut ratum firmumque sit Summi

(1) Concil. Prov. Sen. 1324.

Pontificis circa fidem, et mores iudicium. Si in rebus fidei ac morum decernendis praecipuas tantum partes Romano Pontifici tribuissent Patres Senonenses, id procul dubio per aliquam particulam restrictivam pronuntiare ipsis sanctum fuisset, dicendo verbi gr. eius esse *praecipue*, vel *praesertim*, vel *quam maxime* doctrinas approbare vel reprobare; aut certe non quemlibet Episcoporum concursum alto silentio praetermisissent. Quid vero? Recitato solemni Synodi Florentinae decreto, ita concludunt absolute ac simpliciter: « Igitur sciant omnes, si qua exoriatur circa fidem aut mores controversia, Romani Pontificis esse doctrinas approbare vel reprobare, confutare errores, tenenda determinare. » Insuper, ut explodant tritum illud quorumdam effatum « apostolicam potestatem limitandam esse per canones,» Papae attribuunt ac vindicant ius « antiquos canones *immutandi* prout locorum vel temporum necessitas expostulaverit. » Quo meliori modo exprimi queat omnimoda auctoritatis plenitudo cum in docendo, tum in regendo, vix ac ne vix quidem intelligi potest.

Concilium Aquense pro provincia Aquensi anno 1850 celebratum.

(Interfuerunt et subscripserunt Archiepiscopus Aquensis, et Episcopi Massiliensis, Adiacensis, Vapincensis, Foroiuliensis, Algeriensis et Diniensis.)

Titul. II. Caput VII. De Suprema Romani Pontificis auctoritate.

Inter apostolos quos Dei Filius duces et magistros Ecclesiae suae dedit, unum prae ceteris elegit, quem primum, caput et principem eorum constituit, quem *Cepham* sive

Petrum a se vocatum, in praemium emissae ab ipso confessionis, fundamentum Ecclesiae suae posuit: cui *claves ceteris communicandas* soli commisit (S. Opt. l. VII. 3); pro quo singulariter rogavit ut non deficeret fides eius, et quem fratres confirmandi auctoritate insignivit; cui tandem totius gregis pascendi curam ita *absolute et indiscrete* (S. Bern. *de Consider.* l. II. c. VIII.) demandavit ut *quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus* (S. Leo, S. III. *de assumpt. sua* c. 11).

Hic primatus Petri pro statuenda, fovenda, illaesaque servanda Ecclesiae unitate, institutus, non minus quam unitas ipsa, perpetuus esse debuit; perpetui enim aedificii perpetuum esse fundamentum, perpetuae societatis perpetuum esse ducem oportet. Ideoque Petro Romae, ubi suam sedem fixerat, defuncto, in Romanos Pontifices eius successores, hereditario divinoque iure, suprema haec potestas transiit. Hinc ab incunabilis Ecclesiae perpetuo et ubique dictum et creditum fuit Romanum Pontificem esse Petri successorem; hinc illa romanorum Pontificum series, numquam interrupta, toties contra haereticos et schismaticos invocata; hinc romana cathedra semper et ubique vocata Cathedra Petri et sedes propria in qua *Petrus in suis successoribus vivit et iudicium exercet* (Phil. praesb. in Conc. Eph. Act. III.).

Haec est illa sedes unanimi plausu a Patribus conclamata: *Cathedra unica, prima de dotibus* (S. Opt. l. II. 3), *unde unitas Sacerdotalis exorta est* (S. Cypr. Eph. LV) et *in qua una, unitas ab omnibus* servanda (S. Opt. l. II. 3). Haec Ecclesia *omnium ecclesiarum mater et magistra* (Conc. Trid. Sess. VII. de Bapt. c. III.) in qua *semper apostolicae Cathedrae viguit principatus* (S. Aug. Ep. XLIII. 7)

et *ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam* (S. Iren. adv. haeres. l. III. c. III). Haec *felix Ecclesia cui totam doctrinam apostoli cum sanguine profuderunt* (Tertul. de praescr. c. 36); *ubi fides non potest sentire defectum* (S.Bernard.Ep.XC ad Innoc. II); et in qua *immaculata est semper servata religio et sancta celebrata doctrina* (form. Hormis. Conc. Hard. t. II. col. 1030).

Haec tandem petra *super quam Ecclesia est* Domini voce *aedificata* (S. Epiph. in Anchor. n. IX , et S. Hier. Ep. XIV ad Damasum), et *in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas* (Horm. supra col. 1031).

Hanc ergo patrum, Conciliorum et Summorum Pontificum doctrinam toto animo amplexantes, profitemur et declaramus; *Apostolicam Sedem Romanumque Pontificem in universum orbem tenere primatum*, et centrum esse totius Communionis ecclesiasticae necessarium; *ipsumque Romanum Pontificem verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput et omnium* Christianorum Patrem et Doctorem existere; eique in beato Petro *pascendi et regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Iesu Christo plenam potestatem esse traditam* (Conc. Flor. Conc. Hard. T. IX, col. 986).

Haec autem docendi, pascendi et regendi potestas cum sit suprema, plena, numerisque omnibus absoluta (Pius VI resp. super nunciat. Ap. C. VIII.), vera est hoc ipso, non solum dirigendi, sed iubendi, leges ferendi et sanciendi, iudicandi et poenas decernendi auctoritas, cui omnes obedire tenentur, et veri nominis iurisdictio cui populi populorumque pastores subiacent; adeo ut in iure ecclesiastico Summus Pontifex nihil non possit ubi id exposcit necessitas aut iusta Ecclesiae utilitas.

Praeterea cum divina sit et Ecclesiae omnino necessaria auctoritas illa et iurisdictio, nemini fas est illius exercitium suspendere aut restringere. Qui autem liberam inter Romanum Pontificem et fideles, praesertim Episcopos, qualicumque modo, communionem interrumperet, hoc ipso divinam Ecclesiae constitutionem evertere et ipsius unitatem dirimere attentaret.

ADVERTENDA

Docent Patres Concilii Aquensis, « Petro totius gregis pascendi curam *absolute et indiscrete* demandatam esse.» Memorato textu Concilii Florentini, « Summorum Pontificum docendi, pascendi et regendi potestatem supremam esse, ac plenam, *numerisque omnibus absolutam*» declarant, ac proinde « veram auctoritatem cui omnes obedire tenentur, et veri nominis iurisdictionem cui populi populorumque pastores subiacent. » Porro neutiquam «numeris omnibus absoluta» esse nec dici posset auctoritas docendi in Romano Pontifice, si alia potestate, approbante vel consentiente, ad plenum effectum suum sortiendum, indigeret. Adde quod Patres Concilii Aquensis subiungunt, nemini fas esse illius potestatis exercitium suspendere aut restringere. Quod utique locum haberet, si usquedum de consensu Episcoporum constiterit assensus suspensivus aut restrictivus admitteretur.

Concilium Rhedonense pro provincia Turonensi anno 1849 celebratum.

(Interfuerunt et subscripserunt Archiepiscopus Turonensis, et Episcopi Venetensis, Cenomanensis, Corisopitensis, Briocensis, Rhedonensis, Andegavensis, et Nannetensis.)

Decretum II. De Summo Pontifice.

In supremo ordinis ecclesiastici gradu, evangelica doctrina et Apostolicae traditiones Pontificem Romanum sublimem demonstrant. Profitemur secundum fidem Catholicam, et Conciliorum generalium definitiones, « Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem primatum tenere, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. I. C. plenam potestatem traditam esse » (1).

Ad illam igitur Sedem, in qua fides praedicatur, et servatur unitas, *necesse est propter potentiorem illius principalitatem, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique* fideles (2). Huc, ut verbis utamur Innocentii I, *referendae sunt quaestiones, super anxiis* praesertim *rebus* ut inde *quae sit tenenda sententia* (3) noverint omnes. Nihil siquidem satius iudicamus quam ut *regulae formam secuti quam toto semper orbe serva-*

(1) Concil. Flor.

(2) Irenaeus adv. Haer. lib. III, c. 3.

(3) Innoc. I. Ep. ad Patres Con. Milev. D. Cous. tom. I. col. 896.

tam novimus, *arcana* Apostolicae Sedis *consulamus,* unde *velut de natali suo fonte, aquae sanctae doctrinae cunctae procedunt, et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manant* (1).

Quocirca iisdem principiis innixi quae a Patribus nostris accepimus, ac posteris integra, Deo iuvante, trademus, Summorum Pontificum Constitutiones Dogmaticas omnes, illas praesertim quae his ultimis temporibus prodierunt, accipimus, sicuti et constitutiones quae universalem Ecclesiae disciplinam respiciunt, illis nos omnino subiicientes ea, qua par est, filiali obedientia. Profitemur enim ac declaramus eas absque saeculari sanctione esse pro omnibus obligatorias, tamquam credendorum normam, et conscientiae regulam. Eadem observantia, iuramenti memores a nobis in consecratione praestiti, quod nunc toto cordis affectu renovamus, *mandata Apostolica*, sive ad huius Provinciae disciplinam, sive ad nostram personalem agendi rationem referantur moderandam, *humiliter recipiemus, quam diligentissime exequemur, totis viribus observabimus, et faciemus ab aliis observari* (2).

Tandem Sedis Apostolicae iudicio proponere ac submittere statuimus omnia ac singula huius Synodi decreta, ut nostrorum antecessorum vestigia secuti, reverentiam Summo Pontifici debitam exhibeamus, eunctique Christi fideles agnoscant, suos Pastores per omnia consentire cum illo Supremo Pastore, cui a D. N. I. C. ovium simul et agnorum, Episcoporum scilicet et fidelium cura commendata est.

(1) Inn. I. ad Con. Cart.
(2) Pontific. Rom.

ADVERTENDA

Patres Concilii Rhedonensis profitentur se «Summorum Pontificum constitutiones dogmaticas omnes accipere, illis sese omnino subiicientes ea, qua par est, *filiali obedientia.* » Hanc vero filialem obedientiam vel omnimodam subiectionem toto caelo abesse a quolibet examine, ut aiunt, dubitativo, nemo non viderit, cum Praesulum verba miro modo conspirent in ea quae ad ipsorum praedecessores contraria molientes scribebat olim Clemens XI: «Edoceri satis poteratis nos, in hac eadem causa (in causa scilicet constitutionis dogmaticae *Unigenitus)* non vestrum consilium exposcere, non rogare suffragia, non expectare sententiam, sed obedientiam iniungere. » Quocirca, de irreformabilitate quam ex se tenent constitutiones Apostolicae minime dubitantes, eas « pro omnibus obligatorias esse tamquam credendorum normam et conscientiae regulam profitentur ac declarant» Patres provinciae Turonensis.

Concilium Auscitanum pro provincia Auscitana anno 1851 celebratum.

(Interfuerunt et subscripserunt Archiepiscopus Auscitanus et Episcopi Baïonensis, Aturensis et Tarbiensis.)

Titul. II. Caput I. De Summo Pontifice.

Christus suam in terris Ecclesiam constituens usque ad consummationem saeculi permansuram, et portis inferi omnino invincibilem, Petrum, Principem Apostolorum, fundamentum posuit (1). Ille agnorum simul et

(1) Matth. XVI, 18.

ovium pastor (1), claves regni caelorum accepit cum plena potestate ligandi et solvendi super terram (2). Ipse contra quaslibet Satanae machinationes factus est fratrum confirmator in fide indefectibilis (3), in quo firmum voluit Christus constrictumque teneri unitatis vinculum, quo Ecclesia per universum mundum propaganda, ex membris quantumcumque dissitis, mutua omnium in uno capite consociatione in unam corporis compagem coalesceret (4).

Mirabilem illam constitutionem omnibus retro saeculis toties et tam unanimi Patrum et Conciliorum concentu celebratam summo cordis affectu suscipimus et veneramur. Profitemur quod hodie, sicut olim et in futurum, Petrus velut in propria Sede vivit et praesidet (5), nempe in Romano Pontifice qui, iuxta fidem in Concilio Florentino definitam, in universum orbem tenet primatum, successor est B. Petri, Principis Apostolorum, verus Christi Vicarius, totius est Ecclesiae Caput, omnium Christianorum Pater et Doctor, et cui in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plena potestas tradita fuit (6). Quapropter:

XXIII.

Damnamus eos omnes qui Sedi Apostolicae non consentientes, ab eius et ideo totius Ecclesiae communione

(1) Ioann. XXI, 17.

(2) Matth. XVI, 19.

(3) Luc. XXII, 32.

(4) Brev. *super soliditate*, Pii VI, Contin. Bullar., tom. VII, p. 671, §. 1.

(5) Petr. Chrysol. Epist. ad Euth.

(6) Conc. Flor. Decret. Unionis.

se sequestrant (1); qui extra hanc domum agnum comedit profanus est, et qui non colligit cum Petro spargit (2).

XXIV.

Damnamus eos qui, solum nomine, Pontificis primatum retinentes, hunc ut merum unitatis symbolum habent, non autem ut verum munus et officium divinitus collatum pascendi universalem Ecclesiam, quasi ceteris Episcopis honoris tantum gradu non autem supremae potestatis amplitudine antecellat (3).

XXV.

Damnamus eos qui Apostolicum Primatum non ab ipso Christo immediate institutum dicunt, sed a communitate fidelium, quippe quae, democratico more, regiminis sui formam instituere potuerit (4).

XXVII.

Sacerdotes enixe hortamur in Domino ut populos sibi commissos, depulsis omnibus haereticalibus dicteriis, sanam de auctoritate Pontificia doctrinam doceant. Memores verbi S. Ambrosii, *ubi Petrus, ibi Ecclesia,* semper et in omnibus nobiscum immotae Apostolicae Sedi corde et ore adhaereant, confidentes quod sicut ductore Petro praeteritas Ecclesiae nostrae tempestates salvi evasimus, ita in soliditate Petrae firmati, contra quaslibet futuras diaboli fraudes subsistemus invicti.

(1) Formul. Hormisdae Labb. Epist. 51, tom. IV, col. 1501.
(2) S. Hieron. ad Damasum.
(3) Breve *super Soliditate,* §. 4.
(4) Bulla *Auctorem fidei,* Cont. Bullar. tom. IX, pag. 398, prop. III.

ADVERTENDA

Huic decreto Patres Auscitani aliam praemiserant declarationem, quam recitasse satis erit, ut ipsorum mens patefiat: « Evangelicis institutis et Conciliorum definitionibus inhaerentes circa Ecclesiasticae potestatis plenitudinem B. Petro et legitimis eius successoribus a Christo immediate collatam, summorum Pontificum constitutiones amplectimur, tamquam veras credendi et agendi regulas quae fideles vi propria obligant independenter a cuiuslibet potestatis sanctione aut acceptatione » (T. I, cap. 1 n. 5). Thesis nostra, ipsissimis verbis, hic adstruitur, siquidem irreformabilitas iudiciorum summi Pontificis in eo praecise consistit, quod omnes fideles obligent, et vera sint credendi regula, *vi propria, et independenter a cuiuslibet potestatis sanctione aut acceptatione.*

Concilium Provinciale Parisiense, Parisiis anno 1849 celebratum.

(Interfuerunt et subscripserunt Archiepiscopus Parisiensis et Episcopi Meldensis, Versaliensis, Blesensis, Aurelianensis designatus, necnon Episcopi Carnotensis procurator.)

Titulus 1. *Caput* 1. *de auctoritate Sanctae Sedis Apostolicae.*

In primis recordantes institutionem Christi, qui suam aedificavit Ecclesiam super Petrum et eius successores, et cum Sancto Irenaeo Romanam Ecclesiam eam esse agnoscentes ad quam oportet omnes Ecclesias convenire, propter potiorem eius principalitatem, profitemur, secundum constantem Ecclesiae traditionem et Sancti Concilii

Florentini definitionem, « Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem successorem esse Beati Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur. »

Quo dogmate praemisso, amplectimur omnes et singulas Sanctae Sedis Apostolicae Constitutiones dogmaticas, specialiter quidem illas quae a conclusione Concilii Tridentini usque in hodiernam diem prolatae sunt. Declaramus etiam ac docemus eas saeculari sanctione non indigere ut tamquam norma credendorum et conscientiae regula ab omnibus suscipiantur.

Insuper salutaribus regiminis Ecclesiastici regulis inhaerentes, huius Concilii provincialis decreta recognitioni Sanctae Sedis, unanimi sententia submittere statuimus.

Sacerdotes autem et fideles saepius monitos volumus ut omni quidem tempore, sed potissimum quando Ecclesia gravioribus quassatur tempestatibus, oculos suos ad illam Petri Cathedram convertant, in qua residet fidei soliditas, eminet suprema clavium potestas, et unde unitatis vigor per totum Ecclesiae corpus diffunditur.

ADVERTENDA

Nec a ceteris Galliae praesulibus dissentiunt Patres Concilii Parisiensis. Quod si suspicio quaedam de necessitate alicuius consensionis quae iudiciis Pontificiis firmum et indeclinabile robur conciliaret, ipsorum occupasset men-

tem, id saltem extremis veluti digitis attingere ipsis in promptu erat, per hoc vel illud incisum: «Quo dogmate praemisso, amplectimur omnes et singulas Sanctae Sedis Apostolicae constitutiones *ab Ecclesia acceptatas*, vel, *cui suffragata est Ecclesia*.» Talem dicendi formam eo expeditius adhibere potuissent, quod propositio illa, in sensu affirmativo, et non exclusivo, nullum prae se ferat errorem, cum certo certius sit ne unam quidem dari constitutionem Apostolicam, cui Ecclesia suffragata non fuerit. Et re quidem vera, ne teneriores quorumdam aures offenderent haud absimiliter locuti erant Patres Concilii Ebredunensis anno 1727 celebrati.» Constitutio *Unigenitus cui suffragata est universalis Ecclesia*, est dogmaticum, definitivum et irretractabile iudicium illius Ecclesiae» etc. (cap. II, n. 1). Ast longe aliter Parisienses, quibus ne in cogitationem quidem cadit huiusmodi suffragii necessitas, ut definitivum evadat et irretractabile Romani Pontificis iudicium; ex plena eius potestate docendi, a concilio Florentino solemniter agnita atque celebrata, sequens ipsis existit argumentum: «Quo dogmate praemisso, amplectimur *omnes et singulas* Sanctae Sedis Apostolicae constitutiones dogmaticas, specialiter quidem illas quae a conclusione Concilii Tridentini usque in hodiernum diem prolatae sunt,» ergo et absque dubio Bullam dogmaticam *Auctorem Fidei*, qua saltem indirecte vel in obliquo, ut aiunt, sic dicta Cleri Gallicani declaratio perstringitur. Quamobrem de Apostolicarum constitutionum irreformabilitate sententiam aperiunt, qua firmior vix dari potest, eas scilicet agnoscendo veluti «credendorum normam et conscientiae regulam ab omnibus suscipiendas.» Quid mirum, cum «in illa Petri cathedra resideat fidei soliditas, atque suprema clavium potestas emineat?»

CONCLUSIO

Omnia quotquot ultimis hisce temporibus in Gallia celebrata fuerunt concilia provincialia, irreformabilitatem constitutionum dogmaticarum summi Pontificis, ac proinde ipsius e cathedra loquentis inerrantiam, independenter a quolibet Episcoporum consensu vel antecedente, vel concomitante, vel subsequente, unanimi ore docuisse, ex praemissis, ni fallor, luculenter patet. Illas enim constitutiones quascumque veluti credendorum normam agendorumve regulam, cui ab omnibus Christi fidelibus absoluta mentis obedientia debeatur, incunctanter agnoscunt atque una voce concelebrant. Egregium sane testimonium fidei illius Ecclesiae, de qua olim ad Archiepiscopum Remensem scribebat Gregorius IX: «In fervore fidei ac devotione erga apostolicam sedem non sequitur alias, sed antecedit. »